UNIVERSITATIS LITERARUM VRATISLAVIENSIS NOVI RECTORIS PETRI JOSEPHI ELVENICH...

Ernst Theodor Gaupp

VERSITATIS LITERARVM VRATISLAVIENSIS

NOVI RECTORIS

PETRI JOSEPHI ELVENICH

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTI,

LEGITIME CREATI

SOLEMNEM INAVGVRATIONEM

D. XXV. M. OCTOBR. HORA XI.

IN AVLA LEOPOLDINA

RITE CELEBRANDAM

INDICIT

ERNESTVS THEODORVS GAVPP

H. T. RECTOR.

PRAEMISSA EST COMMENTATIONIS DE OCCVPATIONE ET DIVISIONE PROVINCIARVM AGRORVMQVE ROMANORVM, PER POPVLOS GERMANICOS INDE A SAECVLO QVINTO FACTA, PARTICVLA PRIOR, QVA DE POPVLIS GERMANICIS, QVI IN FINIBVS GALLIAE CONSEDERVNT, AGITVR.

VRATISLAVIAE

TYPIS VNIVERSITATIS.

MDCCCXLI.

Constat inter omnes, tria potissimum esse genera populorum, propriis adhuc nationibus nominibusque discretorum, qui maximam partem Europae incolunt. Occidentalem plagam populi Semiromani,[1]) in commune vulgo Romanici dicti, tenent, e quorum numero sunt Hispani et Lusitani, utrique Maurico etiam sanguine aliquantum imbuti, deinde Itali et Francogalli; appellatio et origo Germanica ipsos Germaniae incolas, Anglos, qui sermone cultuque Saxones praecipue parentes referunt, et populos Scandinavicos, Danos, Norvegos et Suecos complectitur; gentes denique Slavicae per orientalem partem ejusque latissimos campos dispersae, omnes fere magnis duobus imperiis, Austriaco et Russico, comprehenduntur. Sed nationes illae, quae Romanicae dici solent, ipsae duplicis sunt stirpis, atque in regnis illis, quae saeculis quinto et sexto per provincias imperii Romani occidentalis a Germanis condebantur, connubiis mixtis Romanorum et Germanorum prodierunt. Memoriae quidem proditum est, in uno eorum regnorum, Visigothico scilicet, per aliquod temporis spatium connubii societatem inter Romanos et Germanos vel omnino nullam vel tamen legibus prohibitam fuisse, ejusque rei testem habemus Receswindum regem Visigothorum († 672), qui in Lege Visigoth. III. 1, 1. haec constituit: „Sollicita cura in Principe esse dinoscitur, cum pro futuris utilitatibus beneficia populorum providentur. Nec parum exultare debet libertas ingenita, cum fractas vires habuerit priscae legis abolita sententia, quae incongrue dividere maluit personas in conjuges,[2]) quas dignitas

1) Liceat hoc loco gentium semigermanarum mentionem facere, quae ad Peninum sedebant, atque a Gallis Germanisque originem duxisse videntur. Cf. Livii Hist. XXI. 38.

2) Legendum esse videtur: in conjugio.

compares aequaverit in genere. Ob hoc meliori proposito salubriter censentes priscae legis remota sententia, hac in perpetuum valitura lege sancimus, ut tam Gothus Romanam, quam etiam Gotham Romanus, si sibi conjugem habere voluerit, praemissa petitione dignissima, facultas eis nubendi subjaceat: liberumque sit libero, liberam quam voluerit, honesta conjunctione consulta perquirendo prosapiae solemniter consensu, Comite permittente, percipere conjugem." Igitur ex hac quoque lege, ut tale conjugium licitum esset, requirebatur, primum, ut parentes ac propinqui puellae sive viduae consentirent, deinde ut Comes ejus matrimonii copiam faceret. Attamen dubitare licet, num connubiis illis permixtis, quamvis vetitis, tam Gothi quam Romani jam antea vere abstinuerint; ac praeterea facile inducimur, ut primum ejus interdicti causam minus in discrimine generis et sanguinis, quam professionis fidei positam fuisse censeamus, quum constet, Visigothos Arianam regulam fidei professos esse, donec ecclesia catholica sub Reccaredo rege, saeculo sexto vergente, in hoc quoque regno victoriam reportaret [1]). Ex aliis vero fontibus juris et historiae nihil prorsus colligi potest, unde sequatur, in ceteris quoque regnis Germanorum intra fines Europae constitutis legem, ne connubium Romanis cum Germanis esset, valuisse; quodsi tamen hoc ipsum, ne sociaretur sanguis, per aliquod tempus passim institutum fuerit, paulatim evanuisse videtur. Ipse enim rerum eventus docet, utrosque in novam quandam vitae formam habitumque sensim coaluisse, et praeter constitutionem Receswindi alia etiam sunt testimonia, quae connubii societatem consortiumque inter eos fuisse probent. Iam apud Cassiodorum Var. V. 14. de „Antiquis Barbaris, qui Romanis mulieribus elegerint nuptiali foedere sociari", agitur. In regno Burgundionum inde ab ejus initio Romanis et Burgundionibus connubium fuisse videtur; vetus enim hujus populi Lex tit. XII. c. 5. hoc constituit: „Romana puella, si sine parentum suorum voluntate aut conscientia se Burgundionis conjugio sociaverit, nihil se de parentum facultate noverit habituram;" unde sequitur, parentibus consentientibus tale conjugium Romanae puellae licuisse (cf. Leg. Burg. XLIV. Addit. I. 13.); quin etiam verba illa obscura, quae apud Ammianum Mar-

1) Cf. hac de re Lembke Geschichte von Spanien. Bd. I. p. 78 sq.

cellinum 28, 12. leguntur: „Iam inde temporibus priscis sobolem se esse Romanam Burgundii sciunt,“ fortasse ad connubii quandam societatem referenda sunt, quam Burgundiones eo tempore, quo in regionibus Moeni adhuc sedebant, cum viciniis Romanis habuerint. Deinde huc pertinet, quod in legibus Liutprandi Langobardorum regis cap. 127. continetur: „Si Romanus homo mulierem Langobardorum tulerit et mundium ex ea fecerit, et post ejus decessum ad alium maritum ambulaverit sine voluntate heredum prioris mariti, faida et anagrip non requiratur [1]). Quia postquam marito Romano se copulaverit, et ipse ex ea mundium fecerit, Romana effecta est, et filii qui de eo matrimonio nascuntur, secundum legem patris Romani sunt et lege patris vivunt.“ Denique haud praetereundum est, in vetustissimis Capitularibus Francorum saepius quidem de impedimentis matrimonii agi [2]), nusquam autem legem, ne connubium Romanis cum Francis esset, occurrere. Quod vero ad ipsum necessitudinis et propinquitatis vinculum inter populos Semiromanos et Germanos attinet, haud falli videmur, si secuti proverbium illud, a potiori faciendam esse denominationem, eos consanguineos fratres appellemus, utpote qui utrique a patre Germano, Germani vero etiam a matre Germana, Semiromani populi a matre Romana oriundi sint. Illa autem necessitudine factum est, ut hisce duobus populorum generibus inde a primordiis earum civitatum, quae ex magna gentium Germanicarum migratione prodierunt, multa tam publicae quam privatae vitae instituta communia essent, quibus a nationibus Slavicis earumque cultu et moribus longe diversis sejungebantur [3]).

Dubitari profecto non potest, quin omnia, quae ad instituta vitae et mores universasque res tam privatas quam publicas in regnis illis Germanorum, per varias imperii Romani occidentalis provincias saeculis quinto et sexto constitutis, spectare videntur, diligentissima indagatione et exploratione dignissima sint. Tota quidem reipublicae atque imperii Romani facies post magnam illam populorum mi-

1) De faida et anagrip vid. Edict. Rothar. c. 188—190. 215.

2) Chlotarii regis constit. generalis circa a. 560. c. 7. 8. — Decretio Childeberti regis circa a. 595. c. 2. — Edict. Chlotarii II. a. 615. c. 18.

3) Cf. Leopold Ranke, Geschichten der roman. und german. Völker v. 1494—1535. Bd. 1. Einleitung.

grationem ita versa atque immutata erat, ut pauca tantum retineret veteris formae vestigia, ut aliae consuetudines et leges, alii magistratus, alia judicia in finibus antiqui Romani imperii locum cepissent, ut exstincto lumine Latinarum Graecarumque literarum, omnia fere densis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta tenerentur. Attamen manifestum est, saeculis illis primis, quae occupationem provinciarum Romanarum sequebantur, totius fere ordinis ac disciplinae vitae, quae medio adhuc aevo floruit, et cujus vestigia hodieque passim manent, semina sparsa esse. Inde enim a quo Germani antiqui terrarum orbis victores exstiterunt et possessionem rerum humanarum magis magisque capessiverunt, praecipua eorum virtus sollersque indoles in eo potissimum enituit, ut minime quidem veterem tantummodo vitae legem et rationem destruerent, sed novam etiam de integro conderent, rem publicam privatamque novis consiliis, novo ordine componerent, et quasi germina melioris vitae humanae conditionis ad futuri temporis usum in terris occupatis deponerent. Ut vero in semente posita spes messis est, ut totius reliquae vitae exspectatio ab educatione pueritiae pendet: ita res gestae et status publicus posteriorum saeculorum a primis initiis illius aetatis legem suam acceperunt. Atque remotorum illorum temporum quamquam permulta sunt vel eventa vel instituta, quibus ipsa vetustas tantam caliginem offuderit, ut vel summa eruditione nullo modo enucleari possint, tamen haud vana spes videtur esse, continua rerum investigatione magis magisque illam vetusti temporis obscuritatem superari posse. Cavendum tantum est, ne satis nobis esse ducamus, regna illa vitaeque publicae et privatae in iis statum uno tantum aspectu contemplari; sed hoc nobis negotii datum putemus, ut omnes ejus partes accurate perlustremus singulasque seorsum consideremus et certo ordine suis quamque in sedibus collocemus.

Iam primum inter omnes res, quibus effectum est, ut nova Germanorum regna in certam quandam formam redigerentur legitimaque ratione instituerentur, nulla fere alia tanti fuisse videtur momenti, quam divisio agrorum inter Germanos et Romanos facta. Quum enim agri provinciarum captarum non pro cujusque arbitrio, sed firma servata regula, quasi quadam agraria lege dividerentur, quis non videat, hanc divisionem in causa fuisse, cur in iisdem terris habitantes pacem inter se colerent; atque ita demum factum esse, ut Germani quoque novam patriam

adepti paulatim ejus amore incenderentur, denique utraeque nationes mixtis connubiis inter se coalescere possent? Iuvat igitur, de ea divisione agrorum hoc loco disserere, ita quidem, ut primum, quale fuerit antiqui et recentis juris gentium discrimen in ratione agendi cum hostibus superatis, inprimis cum eorum possessionibus conspicuum, cursim et breviter attingam; deinde ea, quae in legibus et apud scriptores antiquos de illa divisione agrorum leguntur, colligam et componam; denique de perobscuris aliquot quaestionibus, rationem ejus partitionis spectantibus, quae meo quidem judicio hucusque neglectae aut omissae sunt. nonnulla adjiciam, quibus eae illustrari possint.

CAPUT PRIMUM.

De discrimine, quod est inter antiquum et recens jus gentium in ratione cum populi alicujus devicti tam personis quam possessionibus agendi.

In universum dicendum est, gentes et civitates antiquas id, quod jus gentium naturale sive universale dicere solemus, aut parum tantum, aut omnino non curavisse. Fuerunt sane pauci quidam scriptores, qui tale quid animo agitarent, veluti Cicero, qui Offic. III. 5. de societate hominum et communitate, quae evertatur necesse sit, si unusquisque rapiat ad se commoda aliorum detrahatque quod cuique possit emolumenti sui gratia, egregie loquitur, quin etiam jus gentium ipsam naturam appellat, et id legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublica contineatur, opponit [1]). Ipsae vero civitates antiquae ea solum jura gentium peregrinarum agnoverunt, quae pactis foederibusque sancita essent [2]):

1) Cf. Thucydid. I. 42. V. 105.

2) L. 7. Dig. de captivis et postlim. (49. 15). Karl Sal. Zachariae, Vierzig Bücher vom Staate. Bd. 4. p. 28. Apud Ciceronem de offic. I. 12. haec leguntur: „Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulae: AUT STATUS DIES CUM HOSTE. Itemque

quamquam hic quoque una saltem exceptio addenda est. Inde enim a primordiis generis humani apud omnes nationes cultiores legatorum nomen vel sine pacto sanctum inviolatumque semper fuisse videtur [1]). Quantum vero ad pacta illa foederaque attinet, quae inter populos vicinos, maxime eos, qui propinquitatibus adfinitatibusque inter se conjuncti erant, saepissime fiebant: haec eum potissimum habebant finem, primum ut in pace quietum vitae commercium vel arctius etiam amicitiae et obsequii vinculum inter civitates esset, deinde ut asperitas et crudelitas bellorum aliqua tamen ex parte mitigarentur.

Ita Graecae inprimis civitates multas ejusmodi leges foederibus inter se sanxerant. Ipsum bellum plerumque denuntiatio belli praecedebat; manente bello tamen certae quaedam res et personae sanctitate fruebantur, veluti templa et asyla, sacerdotes, nuntii et legati publici. Ad pacem firmandam juramenta praestabantur et Dii gentium invocabantur, ut pacta foederaque (*σπονδάς*) tuerentur. Intimam autem quandam conjunctionem plurium civitatum magis videntur indicare varia instituta, veluti *σύμβολα* sive pacta de litibus inter civitates non vi et bello, sed jure judicioque dirimendis [2]); *προξενία* (jus hospitii publici), *ἐπιγαμία* (connubium), *ἔγκτησις* (possessio domuum et agrorum, civibus unius populi in altera civitate permissa), *ἀτέλεια* (immunitas a vectigalibus et tributis, civibus alterius populi concessa) et *πολιτεία*.

ADVERSUS HOSTEM AETERNA AUCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest? eum quicum bella geras, tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius jam effecit vetustas; a peregrino enim jam recessit, et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit." Sed nemo non videt, hic a Cicerone erratum esse, quum verba illa potius ita convertenda esse videantur: Quid ad hanc atrocitatem addi potest? quemvis peregrinum tam duro nomine hostis appellari? Non enim fuit mansuetudo, quae hostem tam molli, sed fuit asperitas, quae peregrinum tam duro nomine appellavit.

1) Herod. VII. c. 136. Caesar. B. Gall. III. 9. Liv. I. 14. II. 4. IV. 17. 19. 32. XXX. 25. L. 17. Dig. de legat. (50. 7) Ferd. Walter, Röm. R. Gesch. Buch I. Cap. 6.

2) Nemo non videt, haec *σύμβολα* cum Austraegis, judiciis austraegalibus Germanorum optime comparari posse. Praeterea in universum dicere licet, inter haec pacta foederaque Graecarum civitatum, quorum supra fit mentio, et confoederationem Germanicam nostrae aetatis miram esse similitudinem. Cf. Deutsche Bundesacte Art. 18. In eo autem Graecia antiqua et recens Germania magnopere inter se distant, quod apud Graecos sparsim tantum instituta erant, quae inter Germanos communiter valent quibusque universa Germaniae respublica continetur.

ἰσοπολιτεία (jus civitatis ipsum cum altera civitate communicatum) [1]. — Similia apud Romanos reperiuntur, nam hi quoque, priusquam totum fere terrarum orbem sibi subjecissent, cum multis aliis civitatibus foederibus conjuncti erant, quibus inter alia aut jus hospitii invicem statueretur, aut connubium vel jus civitatis Romanae finitimis externisque daretur [2]. Ad fidem deinde publicam inter populos servandam jus fetiale, quod dicunt, spectabat. In suscipiendo enim, gerendo et deponendo bello jus ut plurimum valere et fidem, Romani agnoscebant, horumque ut fetiales publici interpretes essent, lege sanxerant. „Fetiales, ut Varro de lingua latina IV. 15. scribit, fidei publicae inter populos praeerant. Per hos enim fiebat, ut justum conciperetur bellum, et ut foedere fides constitueretur. Ex his mittebant, antequam conciperetur, qui res repeterent, et per hos etiam nunc fit foedus.“ [3])

Ceterum per se patet, innumerabiles partes juris gentium, quod dicunt, omni tempore ambiguas atque incertas fuisse, et jus gentium aliquod pactis foederibusque sancitum ob multas causas inter populos omnino non exstitisse. Quod inprimis dicendum est de ratione agendi cum hostibus superatis, quae per se quidem nulli alii legi nisi arbitrio victoris obnoxia est; unde quum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum esse videatur, jus belli infinitum et Martem exlegem esse, recte proverbium dicit. Quum vero jus gentium jus victoris et jus victi simul complectatur, hoc potissimum loco unum ab altero distinguendum est. Erraret quidem, qui certam quandam rationem et modum agendi diversis temporibus hac in re usitatum fuisse, plane negare vellet. Quamvis enim bellum plerumque forte regatur eventibusque casu objectis contineatur: tamen hic quoque in exercenda parta victoria regulae quaedam veluti leges a cunctis fere populis observatae sunt. Manifestum autem est, rationem illam hostes devictos sive durius sive mitius habendi,

---

1) Wachsmuth, Hellenische Alterthumskunde Th. I. Abth. 1. p. 121. sq. Th. II. Abth. 1. p. 194. sq.

2) Ferd. Walter, Röm. R. Gesch. Buch I. Cap. 7. Jupiter hospitalis. Dii hospitales. Cicero ad Quinct. II. 12; pro Dejotar. 6. (7); in Verrem IV. 22.

3) De fetialibus vid. Varro de vit. pop. Rom. III. apud Nonium. Cic. de Legg. II. 9. 14. de Offic. I. 11. Liv. I. 32. IV. 30. IX. 5. Dionys. Halic. II. 71. p. 390. Reisk. VI. 89. p. 1245. Walter l. l. Cap. 6. Creuzer Römische Antiquitäten §. 221.

semper parum tantum vel omnino non constitutam esse pactis foederibusque jam ante bellum sancitis, sed potius moribus et consuetudinibus uniuscujusque aetatis; eamque ob rem mutatis temporibus moribusque aliter etiam a victoribus cum victis actum esse videmus. Iam inde sequitur, id hoc loco maxime quaeri, utrum arbitrio victoris omnia relicta sint, an jus gentium e moribus aetatis cujusque tacito omnium consensu et rebus ipsis factisque comprobatum, etiam victae genti jura quaedam tribuat. Recte autem verba Ulpiani et Pauli Dig. I. 3. l. 33. 36. hic quoque adhiberi possunt: „Diuturna consuetudo pro jure et lege in his, quae non ex scripto descendunt, observari solet," et „Magnae auctoritatis hoc jus habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse, scripto id comprehendere." Videamus igitur, quid ratione illa inter antiquum jus gentium et recens differat.

Nostra aetate inter populos saltem Europae moribus receptum est, ut cives populi alicujus devicti, qui nihil hostile egerunt, neque libertate, neque dominio agrorum suorum exuantur. Itaque sive victor provinciam aliquam hostilem armis occupet, sive victus imperio terrae alicujus pacis conditionibus victori cedere coactus sit: in jure et dominio privato agrorum nihil immutari solet; quin eo usque humaniori hodie jure utimur, ut vel iis incolis hujus regionis, qui justo bello ipsi contra victorem arma tulerunt, neque libertas neque agri eripiantur, et captivi quoque, quamvis manente bello, nisi redimantur, libertate careant, tamen inter Christianos certe populos, servitii jugo non amplius submittantur. Quodsi autem quaeras, quo ex fonte haec mansuetudo manaverit, primum quidem haud dubium esse potest, quin summi momenti in hac quoque parte vitae humanae fuerit vis salutaris et auctoritas religionis Christianae, quae humanitatem etiam in bello servandam esse docuit, cujusque praeceptis clementius illud jus gentium, quod nunc sequimur, vel maxime nititur. Huc autem accedit, quod omnes populi Europae sedes suas in certis quibusdam finibus jam dudum fixerunt. Quodsi victor ubi vicit eo habitatum it, ut in pluribus regionibus Americae et hodie etiam Africae.

1) Geor. Fr. v. Martens, Europ. Völkerrecht §. 267. 270. 275. Klüber, Europ. Völkerrecht §. 249. 256. Vattel, droit des gens liv. III. ch. 13. § 200.

fieri non potest, quin divisio quaedam agrorum hostibus ereptorum occupationem bellicam sequatur. At in Europae saltem finibus occupationes bellicae jam diu sine migratione populi victoris aut partis ejusdem fieri solent, eamque ob causam necessitas victis agros eripiendi victori non amplius injungitur.

Aevo autem antiquo in more positum erat, ut hostibus victis multo superbius avariusque imperitaretur, longeque majores calamitates quam hodie infligerentur; ita quidem, ut victi in universum, nisi occiderentur, [1]) saepenumero non solum possessionibus suis omnino exuerentur sed etiam ipsi in servitutem redigerentur: omnis enim servitutis origo a bellis et occupationibus derivanda est [2]); aut si libertatem totam vel ex parte retinerent, tamen possessionibus sive certa quadam earum parte victoribus cedere juberentur. Ipsa vero divisio inter victores et victos in tali re duplici praecipue modo fieri potuit: sive enim victor partem quandam *continuam* totius terrae occupatae, velut tertiam aut dimidiam sibi vindicavit veteresque hujus tractus incolas inde exire vel colonorum jure ibi residere jussit; sive etiam *singuli fundi* terrae captae ita divisi sunt, ut vetus possessor dominium partis agrorum retineret, altera autem pars, velut tertia aut dimidia aut duae tertiae, uni e victoribus tribuerentur.

Quum autem quae de antiquo jure gentium hucusque dicta sunt, paucis illustrare exemplis opus sit, primum videamus, quam atroci belli jure veteres Hebraei usi sint: de qua re Numer. c. 33. v. 49. sq. haec leguntur: „Castrametati sunt (filii Israël) — in planioribus locis Moabitarum; ubi locutus est Dominus ad Moysen: Praecipe filiis Israël, et dic ad eos: Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terrae illius; confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, et habitantes in ea; ego enim dedi vobis illam in possessionem, *quam dividetis vobis sorte*. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors

1) Homer. Iliad. IX. 589. XXII. 64.

2) Spec. Saxon. III. 42. §. 6. „Nach rechter warheit so hat eigenschaft begin von getwange und von gevenknisse und von unrechter gewalt, die man von aldere in unrechte gewonheyt gezogen hat und nu vor recht habn wil.“ Iac. Grimm D. R. Alt. p. 320.

ceciderit, ita tribuetur haereditas. Per tribus et familias possessio dividetur. Sin autem nolueritis interficere habitatores terrae, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceae in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestrae; et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.“ Ceterum multa exempla, quae in Bibliis sacris occurrunt, Israëlitas cum hostibus victis re vera tam crudeliter egisse, inprimis autem terram occupatam sorte inter se divisisse confirmant. [1]) Sed similia etiam de aliis populis, qui novas bello cepissent terras, velut de Lydis, Aegyptiis, Persis (Herod. VI. 20) aliisque apud veteres scriptores relata inveniuntur. Iam quod ad Graecos spectat, post eam aetatem, quam heroicam dicunt, multos populos, ut Thessalos, Boeotos, Dorienses, Minyas, Iones etc. libidine migrandi et mutandae sedis amore accensos esse videmus, ut relictis antiquis sedibus in aliis regionibus, praecipue in oris maritimis considerent. [2]) „Quid sibi volunt, scribit Seneca ad Helviam 6, in mediis Barbarorum regionibus Graecae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, civitates Achajae Ponticis impositas litoribus ostentat. — Atheniensis in Asia turba est: Miletus LXXV. urbium populum in diversa effudit: totum Italiae latus, quod infero mari alluitur, major Graecia fuit. — Graeci se in Galliam immiserunt etc.“ Novis autem sedibus expugnatis, hoc moris erat, ut victores agros sorte inter se dividerent, veteresque terrae incolas aut pacto quodam in civitatem acciperent, [3]) aut ad emigrandum cogerent, aut servitio vel colonorum legibus subderent; ejusque rei in ipsa Graecia non desunt exempla famosa, ut ex iis apparet, qui in civitate Spartana εἵλωτες dicebantur, ipsi quidem ex civibus quarundam urbium Achaicarum oriundi, quibus subactis Spartani Dorici tam libertatem quam agros eripuerant. [4]) Sed relictis, quae de singulis agrorum divisionibus inter victores

---

1) Cf. Numer. (lib. IV. Mos.) c. 34 sq. Iesaiae c. 34, 11. 44, 13. Ezechiel 47, 3 sq. II. Regum 21, 13. Michaelis Mosaisches Recht Th. I. §. 20. sq. In dimetiendis terris Israëlitae funiculo usi sunt.

2) Wachsmuth l. l. I. 1. p. 97. II. 1. p. 39 sq. Inter populos Graeciae et Germanos serioris aetatis in hac quoque libidine novas conquirendi sedes similitudo quaedam intercedit. Cf. etiam Cic. de Republica II. 4.

3) Wachsmuth l. l. I. 1. p. 164.

4) Otfr. Müller Dorier II. 34. Wachsmuth l. l. I. 1. p. 168. 217. Dahlmann Politik I. p. 20.

factis non semel referuntur [1]), jam sufficere videtur, ejus rei quae κληρουχία dicebatur, mentionem adhuc inferre, quo nomine occupatio terrae alicujus sortis titulo acquisitae et inprimis per coloniam illuc deductam significabatur [2]).

Ad Romanos transeuntibus similis nobis rerum species obversatur. Est velut effigies rerum a Romanis gestarum, quod Cicero ad Herennium IV. 27. scribit: „Populus Romanus Numantiam delevit, Karthaginem sustulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatae sunt, nihil Karthaginiensibus scientia rei militaris adjumento fuit, nihil Corinthiis erudita calliditas praesidii tulit, nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est.“ Romani autem de toto fere terrarum orbe triumphantes, agros bello captos aut locandos retinuerunt, interdum modica parte veteri possessori honoris gratia relicta, aut distraxerunt, aut fecerunt vectigales, aut colonis assignaverunt, quarum rerum passim in legibus, historiis et agrimensorum commentariis testimonia exstant [3]). Sed nulla alia res ad orbem debellandum augendumque Romanum nomen tantam vim videtur habuisse, quam copia illa coloniarum, quae maxime post Romam a Gallis captam primum quidem duntaxat intra Italiae fines, deinde etiam extra Italiam ubique gentium condebantur [4]). „Coloniae, ut Siculus Flaccus de condit. agror. (ed. Goes. p. 2.) scribit, dictae sunt, quod populi Romani in ea municipia miserint colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coërcendos, vel ad ho-

---

1) Herod. IV. c. 159. 163. VI. c. 100. De sortibus Spartanorum cf. Manso Sparta I. 1. 109 sq. Otfr. Müller Dorier II. 190. sq. C. Frid. Hermann Commentationes: De conditione atque origine eorum, qui Homoei apud Lacedaemonios appellati sunt. Marburgi 1832. De causis turbatae apud Lacedaemonios agrorum aequalitatis. Marb. 1834. De novis Lacedaemoniorum post Lycurgum institutis. Marb. 1840. Graecos etiam in dimensione agrorum funiculum adhibuisse, Herod. I. 66. probare videtur.

2) Wachsmuth l. l. I. 2. p. 40. Κληροῦχος = agripeta, Cic. de nat. deor. I. 26. Haud alienum a re censemus, mythicae illius fabulae hoc loco meminisse, quae totam terram inter ipsos deos sorte distributam esse fingebat, unde partes deorum κλῆροι θεῶν dicebantur. Wachsmuth l. l. II. 2. p. 505.

3) Appianus bell. civil. I. 7. Ῥωμαῖοι τὴν Ἰταλίαν πολέμῳ κατὰ μέρη χειρούμενοι, γῆς μέρος ἐλάμβανον. Siculus Flaccus de condit. agror. (ed. Goes. p. 2.) Hyginus de condit. agror. (ibid. p. 205). L. 11. Dig. de eviction. (21. 2.) L. 15. §. 2. Dig. de rei vindic. (6. 1.) Hugo Grotius de jure belli et pac. lib. 3. cap. 6. §. 11.

4) Vellei Paterculi histor. Rom. I. 14. 15. II. 7.

stium incursus repellendos.“ [1]) Et recte quidem coloniae ab A. Gellio Noct. Att. XVI. 13. quasi effigies parvae et simulacra populi Romani appellantur, nam prioribus saeculis hoc erat institutum, ut colonia quaevis trecentas familias, quarum unaquaeque gens unam dederat, complecteretur [2]); atque inde etiam sequebatur, ut coloniae, quippe quae non extrinsecus in civitatem venirent, nec suis radicibus niterentur, sed ex civitate quasi propagatae essent, jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii haberent. Quae vero ad rem nostram maxime pertinere videtur, divisio agrorum inter colonos et veteres captae civitatis incolas, vetusto quidem tempore ita fieri solebat, ut tertia pars agrorum victae civitatis caperetur et inter colonos per bina jugera distribueretur [3]). Sed paulatim Romani haec praecepta antiquitatis non amplius curavere, et seriori aetate omnia semper in omnibus coloniis deducendis ad arbitrium eorum, penes quos tum maxime erat summa rerum, facta sunt.

Germani quoque haud dubie jam inde ab antiquissimis temporibus eam servaverunt consuetudinem, ut novis sedibus bello occupatis agros sive partem eorum victis eriperent, et secundum certam quandam regulam inter se distribuerent. Sed vetustissimum talis divisionis exemplum, de quo refert Caesar B. G. I. 31, non hostes victos, sed socios parte agrorum privatos spectat. Arverni Sequanique, populi Gallici, postquam ante adventum Caesaris multos annos cum Aeduis de principatu Galliae contenderant, factum est, ut ab Arvernis Sequanisque Germani mercede arcesserentur. Horum primo circiter milia XV. Rhenum transierunt; posteaquam agros et cultum et copias Gallorum homines feri ac barbari adama-

---

1) Cicero adv. Rullum II. 28. (27). „(Majores) colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiae, sed propugnacula imperii viderentur.“

2) Ferd. Walter R. R. Gesch. Bd. I. Cap. 10. p. 71. Cf. praeterea Sigon. de antiquo jure Italiae lib. II. c. 2—5. Niebuhr Röm. Geschichte Th. II. p. 48. 2te Ausg. Creuzer Röm. Antiquitäten §. 210. 211.

3) Dionys. Halicarn. II. 35. 50. Liv. VIII. 21. „Eodem anno Anxur trecenti in coloniam missi sunt: bina jugera agri acceperunt.“ Siculus Flaccus de condit. agror. (ed. Goes. p. 15). Ferd. Walter l. l. p. 70. sq. In finibus agrorum regundis Romani non funiculo, sed pertica (decempeda) usi sunt, Propert. IV. 1. v. 130; ideoque etiam solum quodcunque coloniae assignatum in universum pertica appellabatur. Frontin. de limitibus agror. (ed. Goes. p. 43). Pertica deinde etiam apud plures populos Germanicos, ut Bajuvarios, Langobardos, in usu mansit. L. Bajuv. I. 14, 2. Du Cange Gloss. s. v. pertica.

verant, transducti plures, Aedui autem eorumque clientes semel atque iterum victi magnam calamitatem acceperunt. „Sed pejus victoribus Sequanis quam Aeduis victis accidisse, ait Divitiacus Aeduus coram Caesare, propterea quod Ariovistus rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliae, occupavisset, et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere juberet, quod paucis mensibus ante Harudum milia hominum XXIIII. ad eum venissent, quibus locus ac sedes pararentur.“ Ordo hic rei ab Ariovisto gestae demonstrare videtur, divisionem agrorum non ita factam esse, ut singuli possessores Sequani primum quidem unam, deinde alteram tertiam partem fundorum suorum singulis Germanis tradere cogerentur, sed ita, ut Sequani primo unam, deinde alteram tertiam partem continuam totius agri Sequani omnino relinquere, vel tamen ejus dominio cedere juberentur, et una tertia inter clientes Ariovisti jam prius distributa, tunc altera tertia novis advenis destinaretur. Eadem semper deinde causa Germanis erat transcendendi in Gallias aliasque provincias Romanas: libido et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis foecundiores illas terras possiderent [1]). Sed certius aliquid, quod ad nostram quaestionem pertinere videatur, in commentariis historicis de rebus a Germanis saeculis sequentibus usque ad magnam gentium migrationem gestis non continetur. Iam igitur ad ea regna transeundum est, quae inde a saeculo quinto per varias partes occidentalis plagae a Germanis condita sunt; eoque loco hoc in universum praemitti oportet. Apud omnes populos Germanicos in regnis recens institutis agri certa quadam ratione divisi ac distributi esse videntur. Romani autem modo durius, modo lenius habiti sunt. Nonnulli enim fuisse videntur populi Germanici, qui, Romanis possessionum suarum dominio exutis, agros tantum inter se dividerent; plerique vero cum Romanis agros partiti sunt, non quidem eo modo, quo utraque natio partem continuam totius terrae acciperet et seorsum ab altera coleret, sed ita, ut singuli fundi dividerentur unaque pars Germano, altera veteri possessori Romano assignaretur: cui modo agendi multo majorem quam illis inesse mansuetudinem atque humanitatem, nemo non videt, quatenus ea ratione unus

1) Tacit. Histor. IV. 73.

populus ab altero non ita sollicite dissociabatur. Quum vero quae de divisionibus illis agrorum in fontibus reperiuntur, certo quodam ordine digerenda sint, primum de Gallia, deinde de Hispania et Africa, porro de Italia, denique de Germania et Britannia disserere statui [1]).

CAPUT SECUNDUM.

Loci ex Legibus Barbarorum et rerum scriptoribus antiquis collecti, quibus de divisionibus agrorum inter Germanos et Romanos agitur.

I. Gallia.

In Gallia inde a saeculo tertio vel quarto complures Germanorum nationes consederunt:

1. Saxones, qui a sedibus suis in agro Bajocassino circa urbem Bayeux ipsi Bajocassini dicuntur. De tempore eorum adventus in Galliam certi aliquid non constat; conjicere autem licet, eos jam saeculo tertio sive quarto navibus advectos has regiones maritimas occupavisse, atque a Romanis in societatem receptos partem imperii factos esse. Ceterum vix dubitari potest, quin Saxones, qui cum aliis populis Germanicis sub Aëtio contra Attilam regem Hunnorum in campis Catalaunicis (Mauriacis) pugnabant, Bajocassini illi fuerint [2]).

---

1) Cf. in universum: Georg Sartorius tres commentationes de occupatione et divisione agrorum Romanorum per barbaros Germanicae stirpis inde a saeculo quinto facta (in Commentat. societ. reg. scient. Gotting. recent. Vol. II. III. V.) — de Savigny Gesch. des R. R. im MA. Bd. I. 2te Ausg. p. 296. 300. 310. 330. 331. 398. — Eichhorn D. St. u. R. Gesch. Th. I. 4te Ausg. §. 23. — George Phillips Deutsche Geschichte Bd. I. Abth. 1. §. 23.

2) Eutrop. IX. 21. Sidon. Apollin. carm. 8. Gregor. Turon. hist. Franc. X. 9. Jornandes de reb. Get. c. 36. Cf. etiam Baluz. Capit. Reg. Franc. T. II. p. 771. 1266. 1440. Pertz Mon. Germ. Tom. III. (Legum T. I.) p. 426.

2. Alani in partibus urbis Alençon, quae haud dubie nomen suum ab iis accepit; et Alani in regione Valentinae urbis, utrique sec. 5 in Galliam ingressi. Illos quidem, „Alanorum partem, trans flumen Ligeris considentem," ut Jornandes de rebus Get. c. 43 eos appellat, Attila in suam ditionem redigere voluit. De hisce autem apud Prosperum (Tironem) ad a. 440 haec leguntur: „Pacatis motibus Galliarum Aëtius ad Italiam regreditur. Deserta Valentinae urbis (Valence) rura Alanis, quibus Sambida praeerat, partienda traduntur;" et ad a. 442: „Alani, quibus terrae Galliae ulterioris cum incolis dividendae a Patricio Aëtio traditae fuerant, resistentes armis subigunt et expulsis dominis terrae possessiones vi adipiscuntur." [1])

3. Burgundiones, qui initio saeculi quinti primum veterem Germaniam superiorem (partem Galliae propinquam Rheno) occupavere, quibusque a. 443 Sabaudia cum indigenis dividenda data est [2]).

4. Visigothi, qui sub rege Athaulfo a. 412 Galliam ingressi, terminos regni sui mox etiam in Hispaniam proferebant [3]). E numero vero Visigothorum ea quoque fuit natio, quae Taifalorum nomine appellabatur et in pago Pictavo, per aliquod tempus deinde Taifalia dicto, considebat [4]); hodieque etiam oppidulum Tiffauges in provincia Vendée nationis illius nomen referre videtur.

5. Ostrogothorum magna pars, quae Pannonia egrediens primum quidem Italiae terras, ubi tunc Glycerius regnabat Imperator (474), bello petiit, inde autem sub rege Widemir in Galliam se vertit. „Widemir, ut Jornandes de reb. Get. c. 56. narrat, acceptis muneribus simulque mandatis a Glycerio Imperatore, Gallias tendit, seseque cum parentibus jungens Vesegothis, unum corpus efficitur" [5]).

---

1) Chr. Frid. Roesler Chronica medii aevi T. I. p. 292. 297. Pauli Orosii Histor. lib. VII. c. 40. Mascov Gesch. der Teutschen bis zu Anfang der Fränk. Monarchie. Buch IX. §. 15. 28.

2) Prosper Tiro ad a. 443. Cf. Roesler Chronica p. 290.

3) Pauli Orosii Histor. lib. VII. c. 43.

4) Gregor. Turon. Vit. Patr. c. 15. Gregor. Turon. hist. Franc. IV. 18. Jorn. de reb. Get. c. 15. De Taifalis circa Mutinam, Regium et Parmam jam inde ab a. 377. rura colentibus cf. Amm. Marcell. XXXI. 9. in fin. Manso Gesch. des Ostgoth. Reiches in Italien p. 75.

5) Manso l. l. pag. 16.

6. **Franci**, qui jam inde ab initio saeculi quinti fines regni sui e septentrionalibus Galliae Belgicae regionibus paulatim usque ad Sequanam, deinde ad Ligerim etc. prolatabant [1]).

7. **Alamanni**, qui quamvis in pristinis sedibus residentes, saeculo quinto, inprimis post Attilae tempora etiam veterem Germaniam primam, jam a Burgundionibus relictam occupavere [2]), mox vero saltem quatenus tunc in sinistra parte Rheni considebant, a Chlodoveo Francorum rege subacti sunt.

8. **Normanni**, quorum dux Rollo, (post baptisma Robertus dictus), postquam jam diu toti Galliae maximo terrori fuerat, a. 912 a rege Karolo, quem incolae Karl sot, i. e. stolidum ironice appellabant, magnam partem orae maritimae Galliae septentrionalis beneficii titulo accepit [3]).

Quantum vero nunc ad rem nostram, id est divisionem agrorum vel inter solos victores, vel inter victores Germanos et Romanos attinet: de Saxonibus Bajocassinis, de Ostrogothis (qui hac in re exemplum Visigothorum secuti esse videntur), et de Alamannis, nihil omnino quod huc spectet relatum exstat. Non magis scimus, quomodo Alani, tam ii qui trans flumen Ligerim considebant, quam ii qui rura deserta Valentinae urbis cum incolis dividenda acceperant, postea autem Romanos expellebant, agros inter se ipsi partiti sint. Denique eo tempore, quo Normanni ad oram maritimam Galliae septentrionalis navibus adpellebant, provinciae Romanae in finibus Galliae jam dudum evanuerant; ex quo sequitur, ut divisio agrorum a Normannis illis peracta [4]) ad nostram quaestionem non pertineat.

---

1) Constat, eos Francos, qui Salici dicuntur, veros conditores regni Francorum fuisse. Cf. Leg. Sal. Emend. tit. 44. (Herold. 50.)

2) Hefele, Geschichte der Einführung des Christenthums im südwestlichen Deutschland. (Tübing. 1837.) p. 165 sq.

3) Conferendi sunt: Dudo de Sancto-Quintino de moribus et actis Normanniae ducum (ed. Du Chesne Histor. Normann. Script.) — Guilielmus Calculus Gemeticensis hist. Normannorum (ap. Du Chesne l. l.), qui Dudonis materiam subtiliter replicavit et facete abbreviavit (vid. Recueil des Historiens des Gaules et de la France Tom. XI. p. 620). — Gaufredi Malaterrae histor. Sicul. lib. I. c. 2. (ap. Muratori Script. rer. Ital. T. V. p. 549).

4) Apud Guilielmum Gemeticensem lib. II. c. 17—20 ea de re haec leguntur: „Anno igitur incarnationis dominicae 912 benedicto fonte in nomine S. Trinitatis Rollo a Francone archiepiscopo baptizatur, quem

Restant igitur tantummodo **Burgundiones**, **Visigothi** et **Franci**, de quibus paulo accuratius agendum erit.

A. Burgundiones.

Inter omnes Leges Barbarorum nulla de re nostra copiosior est, quam **Lex** Burgundionum, mea quidem sententia non Sigismundo, sed Gundobaldo etiam tum regnante († circa a. 515), in eum qui nunc est ordinem redacta [1]), et sub Gundobaldi successoribus Sigismundo aut Godemaro additamentis duobus aucta. Iam igitur videamus, quid in Lege Gundobada et scriptis historicis veteris illius aetatis tum de divisione agrorum inter Burgundiones et Romanos facta, tum de sortibus in universum contineatur. Quum vero ea de re etiam in codice legum passim actum sit, ipsa rei ratio postulat, ut loci ii, qui ad idem argumentum pertinent, sub certis quibusdam titulis in ordinem redigantur.

1. Ad tempus divisionis agrorum spectant

Prosper Tiro ad a. 443. „Sabaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda.“

Robertus dux a fonte accipiens ei suum nomen imposuit. Rollo autem — — octavo die expiationis ejus — verbis coepit adquisitam terram metiri comitibusque et caeteris fidelibus suis largiri. — — Porro Robertus Normannorum dux — securitatem omnibus gentibus, in sua terra manere cupientibus fecit. Illam terram suis fidelibus funiculo divisit.“ Cf. Augustin Thierry Gesch. der Eroberung Englands durch die Normannen. Aus dem Französ. von Bolzenthal Th. I. p. 106. Ceterum usus funiculi in dimetiendis et distribuendis terris, omnibus populis Germanicis proprius et peculiaris fuisse, pertica autem quae ad hunc finem passim adhibebatur, a Romanis ad Germanos transiisse videtur. Iam Geisericus, ut Victor Vitensis histor. persec. Vandalicae lib. I. c. 4. scribit, „exercitui Zeugitanam vel Proconsularem (provinciam) funiculo hereditatis divisit.“ Cf. etiam chartam Roberti I. Burgundiae Ducis a. 1053. (Recueil des Historiens des Gaules et de la France T. XI. p. 613). — Helmold. Chron. Slav. I. c. 88. 91. „Henricus Comes de Racesburg, quae est in terra Polaborum, adduxit multitudinem populorum de Westfalia, ut incolerent terram Polaborum, et divisit eis terram in funiculo distributionis.“ — J. Grimm D. R. Alterth. p. 184.

1) Nonnulla ea de re libro meo: Das alte Gesetz der Thüringer p. 7. sq. adlata sunt. Vir Celeb. de Savigny etiam in secunda editione libri sui praestantissimi: Gesch. des Röm. R. im MA. Bd. II. p. 2 de duabus praefationibus Legis Burgundionum loquitur, quamquam quae ei audit secunda praefatio, in ipsa Lege tit. 81 prima constitutio appellatur. In verbis quidem simus faciles, sed ex internis causis vix fieri potuit, ut Rex Sigismundus auctor primae illius constitutionis fuerit. Hodie hanc constitutionem, cui similitudo quaedam est cum Commonitorio Breviarii Alariciani, Publications-Patent diceremus.

Marii chronic. ad a. 456. (**Bouquet** II. 13.) „Eo anno Burgundiones partem Galliae occupaverunt, terrasque cum Galliis (leg. Gallicis) Senatoribus diviserunt."

2. Totum Burgundionum regnum sors [1]) appellatur.

Tit. VI. c. 1. **Leg. Burg.** „Si quis fugitivum intra provincias ad nos pertinentes corripuerit, pro fugitivo solidum I. accipiat [2]). — Si extra sortem, duos solidos (is qui fugitivum corripuerit, pro fugitivo accipiat")."

Tit. XX. c. 2. — — „Hi vero, qui fugitivos corripiunt, dominis mandare debent: et praeter illum solidum, qui pro fugitivo intra sortem debetur, pro eo quod mittit personam aut ipse nunciat, in centum millibus pro evectione solidum debet accipere" [3]).

3. Ipsa divisio agrorum, silvarum, domorum, pomariorum et mancipiorum, inter Burgundiones et Romanos facta. — Exarta.

Tit. LIV. De his, qui tertiam mancipiorum, et duas terrarum partes contra interdictum publicum praesumpserint.

c. 1. „Licet eodem tempore, quo populus noster mancipiorum tertiam et duas terrarum partes accepit, ejusmodi a nobis fuerit emissa praeceptio, ut quicumque agrum cum mancipiis, seu parentum nostrorum sive largitate nostra perceperat, nec mancipiorum tertiam, nec duas terrarum partes ex eo loco, in quo ei hospitalitas fuerat delegata requireret [4]): tamen quia complures comperimus immemores periculi sui, eo quia ea, quae praecepta fuerant, excessissent, necesse est, ut

1) L. Burgund. Addit. II. c. 2. „Quicunque servum suum aut ancillam de regione nostra in sortem alienam vendiderit, et mancipium venditum ad propria redierit, ut libertus sit ordinamus." Greg. Turon. V. 3. „Godinus, qui a sorte Sigiberti se ad Chilpericum transtulerat."

2) Cf. L. Visig. IX. 1, 14.

3) Ex hisce verbis apparet, rem veredariam sive cursum publicum Romanorum in regno Burgundionum permanisse; quod similiter etiam de regno Ostrogothorum in Italia et de Hispania constat. Cassiod. Var. IV. 47. V. 5. 39. De voce evectio cf. Cod. Theod. VIII. 5. Cod. Iustin. XII. 51. Böcking Notitia Dignitatum in partibus Orientis. Argumenti explicatio pag. XIV. sq.

4) Exordium hujus constitutionis docet, eam ab eo rege sive fortasse iis regibus emissam esse, qui tempore divisionis illius agrorum apud Burgundiones regnaverint. Summopere autem dolendum est, praece-

praesens auctoritas ad instar mansurae legis emissa et praesumptores coërceat, et huc usque condemptis remedium debitae securitatis attribuat. Iubemus igitur, ut quidquid hi, qui agris et mancipiis nostra munificentia potiuntur, de hospitum suorum terris contra interdictum publicum praesumpsisse docentur, sine dilatione restituant.

c. 2. De exartis [1]) quoque novam nunc et superfluam faramannorum [2]) competitionem et calumniam a possessorum [3]) gravamine et inquietudine hac lege

---

ptionem illam, de qua mentio hoc loco facta est, in codicem legum non receptam esse. Anno 456 Gundeuchus (pater Gundobaldi) ejusque frater Chilpericus regnaverant. Anno 466 aut 467 quatuor filii Gundeuchi in regno successerunt. Greg. Turon. II. 28 scribit: „Huic (Gundeucho) fuerunt quatuor filii, Gundobaldus, Godegisilus, Chilpericus et Godomarus.“ Sed Chilpericus et Godomarus brevi post mortui sive interempti sunt. Gundobaldus Lugduni, Godegisilus Genevae aulam suam habuit. Postquam autem Godegisilus bello cum Francis sociis contra Gundobaldum a. 500 parato regnum et vitam perdiderat, Gundobaldus totum Burgundionum populum usque ad diem mortis suae feliciter gubernavit. (Cf. Mascov Geschichte der Teutschen B. X. §. 12. 22. XI. §. 10. 11.) Si pro vero sumseris, quod Chronicon Marii ad a. 456 narrat, inde sequeretur, constitutionem nostram temporibus Gundeuchi et Chilperici datam esse, sed vereor, ne haec sententia probari non possit, neque desunt argumenta, quae Gundobaldum auctorem hujus legis esse demonstrare videantur. Exinde autem colligendum esset, ipsam agrorum divisionem, fortasse jam antea coeptam, tamen Gundobaldi demum tempore peractam esse. Ceterum ex constitutione nostra apparet, jam ante agrorum divisionem singulis Burgundionibus in singulis fundis Romanorum hospitalitatem delegatam fuisse; quod ita intelligendum esse videtur, singulos fundos Romanorum Burgundionibus veluti militibus (Einquartierung) oneratos fuisse. Praeterea ex verbis legis intelligitur, fuisse Burgundiones, qui jam ante divisionem agrorum munificentia regum priorum agros accepissent, (cf. etiam tit. I. c. 3. 4. vetustissimum fortasse exemplum beneficiorum hereditarii juris factorum,) et hoc quoque indicat, Burgundiones jam antea quam agri inter eos et Romanos dividerentur, per aliquid temporis in eadem regione habitavisse. Quinam parentes illi fuerint, quorum in constitutione nostra mentio facta est, docet tit. III. Legis Burg., ubi non patruos, sed patruum legendum est. Cf. Wilh. Grimm, die Deutsche Heldensage p. 13.

1) De eo quod dicitur exartum (terra novalis, Rottland) cf. Iac. Grimm D. R. Alt. p. 524.

2) Faramanni mea quidem sententia proprie sunt homines liberi, qui habent faram, i. e. familiam, igitur liberi patresfamilias. Ed. Roth. c. 177: „Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit; sic tamen, si a Rege ei data fuerit licentia.“ Paul. Diacon. II. 9. „Langobardorum farae, hoc est, generationes vel lineae.“ Cf. Iac. Grimm l. l. p. 270. D. Gramm. II. p. 52. 416. Phillips D. Gesch. Bd. I. §. 5. p. 84. Improprie autem fortasse omnes viri liberi nomine faramannorum dicti sunt.

3) De ordine possessorum cf. von Savigny Röm. Steuerverfassung p. 5. Deas. Gesch. des Röm. R. im MA. Bd. I. p. 83. 2te Ausg. Apud Cassiodorum inprimis hi possessores saepissime memorantur. Ce-

praecipimus submoveri, ut sicut de silvis, ita et de exartis sive anteacto sive in praesenti tempore factis, habeant cum Burgundionibus rationem: quoniam sicut jam dudum statutum est [1]), medietatem silvarum ad Romanos generaliter praecipimus pertinere.

c. 3. Similiter de curte et pomariis circa faramannos conditione servata, id est, ut medietatem Romani aestiment praesumendam.

c. 4. Quod si quisquam constitutum hujuscemodi praeceptionis excesserit, et non a vobis fuerit cum districtione repulsus, non dubitetis commotionem iracundiae nostrae in vestrum periculum esse vertendam" [2]).

Tit. XIII. De exartis. „Si quis tam Burgundio quam Romanus in silva communi exartum fecerit, aliud tantum spatii de silva hospiti suo consignet, et exartum, quem fecit, remota hospitis communione possideat."

Tit. LXVII. De silvis. „Quicunque agrum aut colonicas tenent, secundum terrarum modum vel possessionis suae ratam, sic silvam inter se noverint dividendam, Romano tamen de silvis medietate ex (in) exartis servata" [3]).

---

terum meo judicio gravissimi est momenti, e Romanis possessores potissimum fuisse eos, qui cum faramannis, i. e. liberis Burgundionibus agros partirentur; hoc loco autem breviter tantum monere sufficiat, in agrorum etiam divisione rationem quandam diversorum ordinum, et Romanorum, et Germanorum habitam esse videri.

1) Num tit. XIII. sive tit. LXVII? vix enim crediderim, eas leges codicis nostri, quae diversis temporibus emissae sint, semper ita compositas esse, ut tempore prior etiam locum priorem obtineat. Res autem dubio non caret, et rectius dici videtur, legem aliquam ipso divisionis tempore datam, sed in codicem nostrum non receptam ideoque non servatam, id quod jam dudum statutum dicitur praecepisse.

2) Haud dubie comites his verbis appellantur, et constitutio nostra fortasse eandem habuit inscriptionem, quae tit. LXXXIX. praefixa est: „Gundebaldus Rex Burgundionum omnibus comitibus."

3) Hic locus exemplo quodam optime illustrari posse videtur. Ponamus fundum, cujus agri jure hospitalitatis inter Romanum et Burgundionem divisi, silva autem inter eosdem communis sit. Moritur Burgundio et tres aut quatuor aut quotcunque filios relinquit, qui non solum agrum patris defuncti, sed etiam silvam, quatenus ad eum pertinebat, dividere volunt. Praecipit igitur lex, silvam inter hos eadem ratione, qua agrum dividendam esse, ita ut cui tertia pars agri competat, idem etiam tertiam partem silvae accipiat: hoc tamen semper observando, ut Romano totius silvae antea communis, tunc quoque si exarta in ea facta sint, dimidium assignetur. Quod vero de pluribus coheredibus valet, etiam de omnibus aliis consortibus Burgundionibus dicendum est. Ceterum vix adducor, ut Addit. I. c. 5. 6. ad divisiones agrorum inter Burgundiones et Romanos spectare credam. Leguntur ibi haec: c. 5. „Agri quoque communis nullis ter-

Tit. XXXI. De plantandis vineis. c. 1. „Inter Burgundiones et Romanos id censuimus observandum, ut quicunque in communi campo nullo contradicente vineam fortasse plantaverit, similem campum illi restituat, in cujus campo vineam posuit“ [1]).

Additam. II. c. 11. „De Romanis vero hoc ordinavimus, ut non amplius a Burgundionibus, qui infra venerunt [2]), requiratur, quam ad praesens necessi-

minis limitati exaequationem inter consortes nullo tempore denegandam. c. 6. Silvarum, montium et pascuorum unicuique pro rata suppetit esse communionem.“ Sed primum quidem cogitandum est, haec verba in Legem Burgundionum ex Lege Romana Burgundionum (Papiano) Tit. 17 translata esse, ubi cap. 6 paucis mutatis sic habet: „Silvarum, montium et pascui jus, ut unicuique pro rata possessionis suppetit, esse commune;“ et inde vides, regulam juris Romani iisdem contineri. Deinde autem ex ipso verborum argumento sequi videtur, in eam partem quam dixi, accipi ea non posse. Ut unicuique pro rata possessionis suppetit, ita silvarum, montium et pascuorum jus commune esse debet; id vero hanc habet sententiam: si cui fundi communis dimidia sive tertia pars competat, eandem etiam partem silvarum, montium et pascuorum, quae ad fundum illum communem pertinent, habeat. Hoc ipsum autem a divisione inter Romanos et Burgundiones facta omnino discrepat, Romano quamvis agrorum unam modo tertiam, tamen silvarum et pascuorum dimidium retinente. Igitur Viro Cl. Aug. Frid. Barkow adsentiri non possum, qui in editione Legis Rom. Burg. p. 59. loco illo (Add. I. 5. 6.) silvarum, montium et pascuorum, quae inter Burgundiones et Romanos communia restiterant, divisionem, antea licitam (Tit. 67), prohibitam esse censet; neque auctoritate Viri Celeb. de Savigny Ges. d. R. R. im MA. II. p. 34. ed. 2, qui illam interpretationem probat, moveor, ut vocem consortes in loco adlato ad Romanum et Burgundionem jure hospitalitatis conjunctos referam, quum fontes nostri, velut ipsa Lex Romana Burgundionum tit. 47, nec non Lex Visigothorum permultis locis, voce illa latiori etiam sensu, maxime pro coheredibus, utantur. — Ager communis nullis terminis limitatus nihil aliud quam ager communis non divisus esse videtur. Cf. de Savigny l. l. p. 35.

1) Haud dubie lex de eo loquitur casu, quo Burgundio sive Romanus omnem campum hucusque communem in vineam transmutaverit.

2) Hoc est: qui post alios ex sedibus antiquis venerunt, postquam populus Burgundionum novam terram jam occupaverat et prima divisio agrorum jam peracta erat. Ex eo autem, quod infra quoque venientibus Burgundionibus agri Romani adsignabantur, perspici potest, primam illam divisionem non omnes Romanorum fundos amplexam esse, atque inde patet, fundorum numerum majorem quam Burgundionum fuisse. Notabilis denique est favor insignis, quo reges Germanici in omnibus fere regnis recens constitutis, et maxime quidem regno Burgundionum, Romanos amplectebantur; ex similibus haud dubie causis, quibus principes Germaniae orientalis medio aevo adducebantur, ut Slavos subjectos tuerentur. „Nam principes, scribit Helmoldus (Chron. Slav. I. c. 56, ap. Leibnitz II. p. 585), Slavos servare solent tributis suis augmentandis.“ Haud a vero aberrare videmur, si Romanis etiam in regno Burgundionum solutionem tributi (Grundsteuer) incubuisse censeamus; vix autem credibile est, Burgundionibus quoque hanc necessitatem impositam esse. Cf. de Savigny Röm. Steuerverfassung p. 27. sq.

tas fuerit, medietas terrae. Alia vero medietas cum integritate mancipiorum a Romanis teneatur: nec exinde ullam violentiam patiantur."

Tit. LVII. De libertis Burgundionum, qui viam discedendi non habuerint. „Burgundionis libertus, qui domino suo solidos XII. non dederit, ut habeat licentiam, sicut est consuetudinis, quo voluerit discedendi, nec tertiam a Romanis consecutus est, necesse est ut in domini familia censeatur."

4. Sortes familiis conservandae sunt.

Tit. I. De libertate donandi patribus attributa et muneribus regis. c. 1. „Quia nihil de praestita patribus donandi licentia vel munificentia, dominantium legibus fuerat constitutum, praesenti constitutione omnium uno voto et voluntate decrevimus, ut patri etiam antequam dividat, de communi facultate et de labore suo cuilibet donare liceat, absque terra sortis titulo acquisita, de qua prioris legis [1]) ordo servabitur."

Tit. LXXVIII. De hereditatum successione. „De hereditatum successione adtentiüs pertractantes statuimus, ut si pater cum filiis sortem suam diviserit, et postea mori filium vivo patre contigerit sine filiis, pater facultatum filii integram usufructuario jure vindicet portionem."

---

1) Dolendum est, legem illam priorem in codicem nostrum haud receptam esse. In universum autem ex constitutionibus iis, quae ad sortes jure successionis transferendas spectant, hoc apparet. Nulli Burgundioni sortem suam in detrimentum filiorum alteri cuidam donare sive alienare licuit; num vero jam ab initio jus fuerit, ut filiis deficientibus filiabus quoque vel ceteris propinquis sortes conservandae essent easque alienare et vendere domino non liceret, haud scimus; quamvis hoc ipsum constitutum fuisse videatur, hanc autem legem raro tantum observatam esse, ex tit. 84 colligi possit. Mortuo patre, primo loco filii, deficientibus vero filiis, filiae in sortem paternam succedebant; cum ea autem filia, quae sanctimonialis erat, id est, Deo se voverat et in castitate permanserat, filii sortem aequis partibus dividere cogebantur, ita vero, ut filia sanctimonialis nunquam majorem quam tertiam partem acciperet, et semper sub hac conditione, ut non dominium, sed usumfructum tantum portionis suae capesseret, ideoque eam alienare non posset, sed relinquere fratribus sive eorum filiis deberet. (Quo quidem loco reputandum est, vitam sanctimonialem mulierum, jam saeculo quinto in regno Burgundionum propagatam et insignem in tales feminas legum favorem per se maxime notabilem esse.) Ceterum hoc in more Burgundionum positum fuisse videtur, ut pater dum vivebat cum filis adultis sortem divideret; filio autem post divisionem, vivo patre, sine filiis mortuo, integra ejus portio in usumfructum patris revertebatur et post ejus mortem demum ad fratres filii praemortui transibat.

Tit. XIV. De successionibus et sanctimonialibus. c. 1. „Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.

c. 5. De his vero puellis, quae se Deo voverint, et in castitate permanserint, si una duos fratres habuerit, tertiam jubemus ut portionem de hereditate patris accipiat, hoc est, de ea tantum terra, quam pater ejus sortis jure possidens mortis tempore dereliquit. Similiter et si quatuor aut quinque fratres habuerit, portio ei debita reservetur.

c. 6. Si autem illa unum tantum habuerit fratrem, non medietatem, sed tertiam partem consequatur, ea scilicet conditione, ut post obitum illius quae femina et sanctimonialis est, quidquid in (jure?) usufructuario de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illa exinde alienandi potestatem habitura, nisi forsitan quod ex matris bonis, id est in recellulis vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore requirere.

c. 7. Hoc his tantum censuimus esse praestandum, quibus patres suas jam non dederint portiones: quod si a patre, ubi vivere possint, perceperint, ex hoc ipso quod voluerint faciendi liberam habeant potestatem."

Tit. XLVII. De condemnatione latronum, uxorum quoque suarum et filiorum. (Postquam hoc loco constitutum est, ipsos caballorum aut boum fures morte puniendos, eorum uxores autem et filios decimum quartum aetatis suae annum egressos in servitium ejus, cui furtum factum fuerit, tradendos esse, lex ita pergit:)

c. 3. „Hi vero sceleratorum filii, qui perpetrati criminis tempore intra decimum (quartum) aetatis annum inveniuntur, ab hac amittendae libertatis condemnatione habeantur immunes, — — et sortem parentum vel facultatem filii, qui innocentes fuerint, vindicabunt."

5. Burgundiones in vendendis sortibus certis quibusdam finibus circumscribuntur.

Tit. LXXXIV. De venditione terrarum. cap. 1. „Quia cognovimus, Burgundiones sortes suas nimia facilitate distrahere, hoc praesenti lege credi-

dimus statuendum, ut nulli vendere terram suam liceat, nisi illi qui alio loco sortem aut possessiones habet.

c. 2. Hoc etiam interdictum, ut quisque habens alibi terram, vendendi necessitatem habet, in comparando, quam Burgundio venalem habet, nullus extraneus Romano hospiti praeponatur, nec extraneo per quodlibet argumentum terram liceat comparare.

c. 3. Observandum tamen, ut de illo ipse hospes suus comparet, quem alibi terram habere constiterit."

6. Lites de finibus agrorum, qui hospitalitatis jure a Barbaris possidentur, inter hospites Romanos, remotis Barbarorum personis, gerendae et legibus Romanis dijudicandae sunt.

Tit. LV. De removendis Barbarorum personis, quotiens inter duos Romanos de agrorum finibus fuerit exorta contentio. c. 1. „Quamlibet certa sub districtione olim fuerit constitutum, ut Barbarus in causa Romani, quam contra alterum Romanum commoverit, quamve exceperit, sese non ausus esset adjungere [1]): tamen pensiorem habentes de causarum actione tractatum jubemus, sicut actis jam temporibus praecepimus custodiri [2]), quotiens de agrorum finibus, qui hospitalitatis jure a Barbaris possidentur,[3]) inter duos Romanos fuerit mota contentio, hospites eorum non socientur litigio, sed Romanos in judicio contendentes expectent, ut cujus Barbari hospes evicerit, cum ipso postmodum de re obtenta habeat rationem. Quod si quis Barbarorum sese ad litigandum in ejusmodi causationem miscuerit, mox repulsus inferat mulctae nomine, pro eo quod interdicta contempsit, solidos XII.

---

1) Haec constitutio Tit. XXII. continetur: „Quicunque Romanus causam suam, quam cum alio Romano habet, Burgundioni agendam tradiderit, causam perdat et is qui suscepit, inferat mulctae nomine sol. XII."

2) Hoc quoque praeceptum periit.

3) Supra vidimus, jam eam conjunctionem inter Romanos et Burgundiones, quae antequam agri dividerentur talem habebat vim et conditionem, ut singuli Romani singulis Burgundionibus eorumque familiis velut militibus onerarentur easque personas sustentare tenerentur, hospitalitatem dictam esse. Hoc autem loco apparet, ei quoque nexui, qui ex ipsa agrorum divisione inter utrosque proficiscebatur, hospitalitatis nomen impositum esse. Cf. etiam tit. 38.

c. 2. Quod si eum Romanus, hoc est hospes ipsius adhibere praesumpserit, utrumque XII. solidos jubemus exsolvere, et causam Romanis legibus terminari [1]). Sane si ex ejusdem agri finibus, quem Barbarus ex integro cum mancipiis publica largitione perceperit [2]), fuerit contentio generata, licebit ei seu pulsatus fuerit, seu ipse pulsaverit, Romano jure contendere" [3]).

7. Quaeritur, quorsum pertineant Tertiae, quae occurrunt

Tit. LXXIX. De praescriptione temporum. c. 1. „Licet jam pridem a nobis fuerit ordinatum, ut si quis in populo nostro Barbarae nationis personam, ut in re sua consisteret, invitasset, ac si ei terram ad habitandum voluntarius deputasset, eamque per annos quindecim sine tertiis habuisset, in potestate ipsius permaneret, neque exinde quidquam sibi ille qui dederit, sciat esse reddendum: tamen quod absque ulla permutatione omni tempore generaliter memorata conditio debeat custodiri, praesenti placuit lege constitui" [4]).

---

1) Per se patet, eam litem, quae inter solos Romanos, hospite Burgundiono neque ex una neque ex altera parte adhibito gerebatur, nunquam aliis quam Romanis legibus discerni potuisse. „Inter Romanos — — Romanis legibus praecipimus judicari," sunt verba primae constitutionis codicis nostri, quae primum ejusdem titulum antecedit, et perperam a multis secunda praefatio dicitur.

2) Quas ob causas quibusdam Burgundionibus integri Romanorum fundi adsignati sint, quod factum esse haec verba docent, non constat.

3) Ex mea sententia in ejusmodi praeceptis, quibus Germanis sive Romanis in singulis quibusdam causis secundum jus alterius nationis vivere permittebatur, prima vestigia juris territorialis, in quod paulatim jura diversorum populorum coalescebant, quaerenda sunt. Cf. Leg. Burg. Tit. LX. c. 1. Liutprand. Leg. c. 90. 127. Permulta, quae mutationem illam jurium genticorum et transitum in jus territoriale optime illustrant, etiam in collectionibus formularum Marculfi aliorumque continentur. Quod apud Virum Celeberr. de Savigny l. l. I, p. 181 de origine juris territorialis in Gallia ex juribus curiarum, inprimis ministerialium legitur, meo quidem judicio probari nequit.

4) Vix dubium esse potest, quin haec lex eo spectet, quum Barbarus aliquis sive Burgundicae sive alius cujusdam nationis a Burgundione quodam agros non jure dominii, sed ea conditione accepit, ut coloni more iis uteretur frueretur et domino Burgundioni quotannis censum quendam, cui nomen erat Tertiarum (ita sane dictum, quod primitus quidem tertiam fructuum agri concessi partem efficere solebat,) exsolveret. Vult igitur lex, ut si ab eo qui agros tali conditione acceperit, Tertiae illae ei qui agros dederit, per quindecim annos non exsolutae atque in recognitionem dominii superioris per tantum temporis spatium nihil factum aut solutum sit, omne jus prioris domini exstinctum sit. Inde autem haec sequi videntur: a) Tertiae illae pro terragio habendae sunt, et huc pertinet, quod a Viro eruditissimo Du Cange Glos-

B. Visigothi.

Visigothi, ut Jornandes de reb. Get. c. 25. narrat, saeculo quarto Danubium transmeantes, Daciam Ripensem, Moesiam, Thraciasque permissu Valentis Principis insedere. Non liquet autem, veraue agrorum divisio inter eos Romanosque jam in hisce regionibus facta sit, quamvis auctoritas Jornandis hanc sententiam fere tueri videatur. Dicit enim c. 26: „Coeperunt Gothi jam non ut advenae et peregrini, sed ut cives et domini possessoribus imperare, totasque partes septentrionales usque ad Danubium suo jure tenere;“ et paulo post ibidem:„ Quo tempore Vesegothae Thracias Daciamque Ripensem, post tanti gloriam trophaei (h. e. pu-

---

sar. sub voce Tertia no. 4. adnotatum est: suo adhuc tempore in Burgundia et vicinis provinciis agrario sive vectigali ex agris pendendo mansisse Tertiarum nomen. Praeterea frequentissimus hujus vocis usus in sensu dicto per omnia medii aevi saecula multis veteribus chartis et documentis, quae apud Du Cange leguntur, probatur. b) Tertiae sunt census sive vectigal juris privati, non juris publici: quod lingua vernacula ita distinguere solemus: ut illud Grundzins, hoc vero Grundsteuer appellemus. Ceterum nihil obstitisse videtur, quominus Tertiae illae utraque parte consentiente in certam quandam pecuniae summam transmutarentur. In dubium autem vocari potest: a) Num Tertiarum nomen etiam cum divisione terrarum inter Romanos et Burgundiones aliquo modo cohaeserit, quod quamvis Du Cange l. l. credat, minime tamen pro certo habendum est. b) Num inter Tertias Legis Burgundionum easque Tertias, quae in regno Italico Ostrogothorum reperiuntur, de quibus Cassiodorus Var. I. 14. II. 17 loquitur, similitudo quaedam fuerit. Vir Celeberr. de Savigny quidem l. l. I. p. 333 sq. hanc sententiam tuetur, ut Tertias apud Cassiodorum nihil aliud quam tributum ordinarium (Grundsteuer) esse statuat; confiteor vero hoc mihi probabile non videri. „Praecelsa magnificentia tua, Fausto Praeposito scribit Theodoricus Rex (Cassiod. I. 14), quod a Chathaliensibus inferebatur genus Tertiarum, faciat annis singulis in tributaria summa persolvi. — Quid enim interest, quo nomine possessor inferat, dummodo sine imminutione quod debetur exsolvat? Ita et illis suspectum Tertiarum nomen auferimus.“ Mihi igitur res ita se habuisse videtur, ut Chathalienses antea duobus vectigalibus onerati essent et primum quidem tributum ordinarium (Grundsteuer), praeterea autem Tertias illas exsolvere tenerentur. Favor regis vero id spectabat, ut Tertiarum nomine in posterum sublato, quod eo titulo hucusque solutum erat, cum tributo ordinario jungi unaque solvi deberet. Quodsi autem Tertiae ab hoc tributo accurate discernendae sunt, jam quid illae sibi velint, denuo quaerendum est. Restare autem hoc solum videtur, ut sint aut tributum quoddam extraordinarium (ausserordentliche Grundsteuer), cujus originem nomenque a divisionibus agrorum inter Germanos et Romanos derivare fortasse liceat (cf. Manso Gesch. des Ostgoth. Reiches p. 83); aut terragium, vectigal quoddam juris privati, ideo tantum ipsi Regi solvendum, quia Regi dominium eorum agrorum competebat, qui solutione Tertiarum illarum onerati erant. Certe quae apud Cassiodorum II. 17 de Tertiis leguntur, huic interpretationi haud oppugnare videntur, qua de re alio loco diligentius agendum erit.

gnam juxta Hadrianopolim), tanquam solo genitali potiti, coeperunt incolere.“ Sed posteaquam populus ille initio saeculi quinti sedes suas in Galliam meridianam et Hispaniam transtulerat, in ejus regno recens condito agros inter Gothos et Romanos certo quodam ordine divisos esse, exploratum habemus. Primus haud dubie locus inter documenta hujus rei debetur Legi Visigothorum, etiamsi Lex Burgundionum eam copia rerum multo antecedat, eaque quae ad argumentum nostrum in Lege Visigothorum spectant, inopia quadam et tenuitate laborent. Priusquam vero ipsos locos, qui divisionem agrorum respiciunt, in medium proferam, nonnulla in universum monenda sunt, quae, qui recte eam rem aestimare velit, tenere oportet.

1. Omnes leges codicis Visigothorum in tres ordines distinguendae sunt. Aut enim sunt constitutiones regiae, aut Antiquae appellantur, aut tali originis suae praescriptione carent. Constitutiones regiae maximam partem septimo demum saeculo emissae sunt, quo tempore Visigothis Gallica regni pars fere omnis jam dudum a Francis erepta erat. Quae Antiquae dicuntur, mea quidem sententia vel ex regis Eurici vetere codice, qui paulatim auctus esse videtur, sed, quod magnopere dolendum est, periit, vel ex Breviario Alariciano in eum, qui nunc est, codicem translatae sunt [1]). Denique leges, quibus neutrius generis est inscriptio, quam originem habuerint, in dubium vocari potest; sed ipsa earum tam forma quam argumenta demonstrare videntur, hisce quoque vel saltem plerisque ex iis nomen Antiquarum deberi. Jam earum legum, quibus de divisione agrorum inter Visigothos et Romanos agitur, nulla omnino nomen regis alicujus prae se fert, sed omnes fere, una fortasse, quae inter Antiquas locum tenet, excepta, ex numero sunt earum, quae inscriptione carent.

2. Vix dubitari potest, quin vetus codex regis Eurici longe pluribus atque accuratius quam nostra collectio de divisione illa agrorum egerit, quum per se pateat, tempore Eurici divisionem eam non solum recenti memoria haesisse, sed in

---

1) Igitur in Lege nostra Visigothorum vetustissimum habemus exemplum juris territorialis, ex jure Romano et jure Germanico compositi. De codice Eurici cf. Isidori Hispalens. Chron. Aer. Hispan. a. 504. (Dionys. 466). „Sub hoc rege (Eurico) Gothi legum instituta scriptis habere coeperunt; antea tantum moribus et consuetudine tenebantur.“

omnibus vitae publicae ac privatae partibus summi tum momenti fuisse. Deinde autem quae huc spectabant, magis magisque vetustate obliterata sunt, et ita factum est, ut earum legum, quae in codice Eurici non solum frequentiores, sed etiam copiosiores ea de re fuerunt, perpaucae tantum in nostrum codicem Visigothicum receptae sint.

3. Ex jam dictis sequi videtur, leges eas, quae in collectione nostra de sortibus loquuntur, vetustioris originis et quidem saeculo quinto compositas esse, quo Visigothi sedem principalem regni nondum in Hispania, sed in Gallia meridiana habebant. Exinde autem intelligi debet, leges Visigothicas de sortibus aptius ad Galliam quam ad Hispaniam referri, licet credendum sit, easdem regulas, secundum quas divisio agrorum in Gallia fiebat, etiam in Hispania ab iis observatas esse.

4. Constat tam eas partes agrorum, quas Romani retinebant, quam eas, quae Germanis assignabantur, sortes, ipsos autem, Romanum et Germanum, qui fundum aliquem ita partiti erant, in omnibus regnis Germanicis consortes sive hospites dictos esse. Attamen cavendum est, ne omnes leges codicis Visigothici, qui de consortibus loquuntur, peculiariter tantum ad Gothum et Romanum, hospitalitatis jure inter se conjunctos, referas; etenim nomen consortium pluribus locis ad condominos in universum, maxime ad coheredes spectat; et similiter etiam divisionis vocabulo haudquaquam semper ea vis tribui potest, ut divisionem inter Gothum et Romanum significet [1]).

Jam vero locos gravioris momenti, rem nostram respicientes, qui vel apud antiquos rerum scriptores vel in codice Visigothico leguntur, sub certis titulis digesturi sumus.

1. Ad occupationem novarum sedium et conditiones pacis inter Gothos et Romanos firmatae pertinent in universum

Paul. Oros. Hist. VII. 43. „(Ataulphus) cum esset animo, viribus ingenioque nimius, referre solitus est, se in primis ardenter inhiasse: ut obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium et faceret et vo-

1) Cf. L. Visigoth. VIII. 5, c. 2. X. 1, c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

caret: essetque, ut vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset, fieretque nunc Ataulphus, quod quondam Caesar Augustus."

Olympiodori Hist. ad a. 413. (Bouquet I. p. 600). „Adaulphus cum Placidia repeteretur, frumentum vicissim ipse promissum petiit. Cujus conferendi, etsi qui promiserant, copiam nullam haberent, nihilo tamen secius se illud, si Placidiam reciperent, praebituros profitentur."

Epitome Philostorgii confecta a Photio lib. XII. (Bouquet I. p. 601.) „Exinde Barbari cum Honorio foedus percusserunt, et Placidiam sororem et Attalum ei tradiderunt, cum prius ipsi annonas ab Imperatore, et quandam Galliae partem ad agros excolendos accepissent."

Prosper Aquit. ad a. 419. (Roesler l. l. p. 237.) „Constantius Patricius pacem firmat cum Wallia, data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania et quibusdam civitatibus confinium provinciarum."

Idat. Chron. ad a. 419 (Roesler l. l.) „Gothi intermisso certamine quod agebant, per Constantium ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica a Tolosa usque ad Oceanum acceperunt."

Isidori Chron. Gothor. (ed. Lindenbrog. p. 168). „(Vallia) deinde per Constantium Romanum patricium ad Gallias revocatur, data ab eo Gothis ob meritum victoriae ad habitandum secunda Aquitania usque ad Oceanum, cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum."

2. Ipsa divisio agrorum et silvarum. Exarta.

Lex Visigoth. X. 1, c. 8. De divisione terrarum facta inter Gothum et Romanum. „Divisio inter Gothum et Romanum facta de portione terrarum sive silvarum, nulla ratione turbetur, si tamen probatur celebrata divisio. Nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus praesumat aut vindicet: aut de tertia Romani Gothus sibi aliquid audeat usurpare aut vindicare, nisi quod de nostra forsitan ei fuerit largitate donatum. Sed quod a parentibus vel vicinis divisum est, posteritas immutare non tentet."

X. 1, c. 9. De silvis inter Gothum et Romanum indivisis relictis. „De silvis quae indivisae forsitan resederunt, seu Gothus seu Romanus

eas assumpserit, et fortasse fecerit culturas: statuimus ut si adhuc silva superest, unde paris meriti terra ejus cui debetur portioni debeat compensari, silvam accipere non recuset. Si autem paris meriti quae compensetur, silva non fuerit, quod ad culturam scissum est, dividatur."

X. 3, c. 5. Ut si aliqua pars de aliquo loco tempore Romanorum remota est, ita persistat. „Si quodcunque ante adventum Gothorum de alicujus fundi jure remotum est: et ad aliquampossessionem aut venditione, aut donatione, aut divisione, aut aliqua transactione translatum est: id in ejus fundi, ad quem a Romanis antiquitus approbatur adjunctum, jure consistat. Cum autem proprietas fundi nullis certissimis signis aut limitibus probatur, quid debeat observari, eligat inspectio judicum, quos partium consensus elegerit: ita ut judex quos certiores agnoverit vel seniores, faciat eos sacramenta praebere, quod terminos sine ulla frauda demonstraverint. Et tamen nullus novum terminum sine consortis praesentia aut sine inspectore constituat" [1]).

3. Consortibus vel hospitibus usus herbarum non conclusarum communis est.

VIII. 5, c. 5. Antiqua. Si quorumcunque animalium grex in pascua intraverit aliena. „Si in pascua grex alienus intraverit, sive ovium sive vaccarum, hoc quod de porcis constitutum est, praecipimus custodiri (cf. l. l. c. 1—4). Consortes vero vel hospites [2]) nulli calumniae subjaceant: quia illis usum herbarum, quae conclusae non fuerant, constat esse communem. Qui vero sortem suam totam forte concluserit, et aliena pascua absente domino invadit, sine pascuario [3]) non praesumat, nisi forte dominus pascuae voluerit."

---

1) Ex hisce locis hoc apparet: Agrorum arabilium eorum fundorum, qui dividebantur, duabus tertiis Gotho assignatis, Romanus unam tertiam retinebat. In ipsa divisione is tantum status fundorum, quem tempore adventus Gothorum habebant, respiciebatur. Silvae, quae partes fundorum efficiebant, saepenumero indivisae, itaque communes mansisse videntur; quodsi autem dividebantur, Romano, sicut apud Burgundiones, dimidium competebat, similiterque exartis aut culturis in silva indivisa ab uno consorte factis, alteri consorti portionem paris meriti tribui, aut si silva non superesset, exartum inter consortes aequis partibus dividi oportebat.

2) Vox hospites indicat, hanc legem ad Gothum quoque et Romanum jure hospitalitatis inter se conjunctos pertinere.

3) Pascuarium est census pro usu pascui alieni solvendus. Cf. Leg. Bajuv. Tit. I. c. 14. §. 1.

4. Magistratus locorum Romanis tertias a Gothis eis ereptas restituere tenentur. Sed praescriptio quinquaginta annorum unumquemque possessorem contra repetitionem sortium tuetur. Romanis in regno Visigothico solutio functionis publicae, h. e. tributi (Grundsteuer), incumbit. An Gothis quoque, in dubium vocari potest.

X. 1, c. 16. **Ut si Gothi de Romanorum tertia quippiam tulerint, judice insistente Romanis cuncta reforment.** „Judices singularum civitatum, villici atque praepositi, tertias Romanorum ab illis qui occupatas tenent, auferant, et Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: ut nihil fisco debeat deperire [1]). Si tamen eos quinquaginta annorum numerus aut tempus non excluserit.“

X. 2, c. 1. „Sortes Gothicae et Romanae, quae intra quinquaginta annos non fuerint revocatae, nullo modo repetantur.“

X. 1, c. 15. **Qui adcolendam terram accepit, sicut ille qui terram dedit, ita et iste censum exsolvat.** „Qui accolam in terram suam susceperit, et postmodum contingat, ut ille qui susceperat, cuicunque **tertiam** reddat, similiter censiant, et illi qui suscepti sunt, sicut et patroni eorum, qualiter unumquemque contigerit.“

---

1) Visigothi consortibus suis Romanis tertias haud raro eripuisse videntur. Quod vero lex dicit, inde fisco aliquid deperire, meo judicio de tributo (Grundsteuer) intelligendum est, cujus solutio non Visigothis, sed Romanis legitime incubuisse videtur. His certe illam necessitatem impositam esse, docet etiam cap. 19. tit. 4. lib. V. Legis Visigoth. At ex capite 15. tit. 1. lib. X. prope colligas, sub quibusdam conditionibus Visigothos quoque ad solvendum tributum sive implendam functionem publicam coactos esse. Fortasse autem ad hanc solutionem ii maxime Gothi tenebantur, qui Romanorum tertias occupavissent, quamvis ex verbis illis cap. 16 „ut nihil fisco debeat deperire“ intelligi possit, hos quoque Gothos immunitate ab omni tributo se tueri conatos esse. Locus ille obscurissimus (cap. 15) certe ad eum Gothum respicere videtur, qui Romano tertiam eripuerit, deinde accolam, h. e. colonum (cf. Leg. Bajuv. tit. 1. cap. 14. §. 2) susceperit, denique autem Romano tertiam reddiderit. Praecipit vero lex, tributum nunc ab omnibus simul solvendum esse, ab accola suscepto et ab ejus patronis, Gotho et Romano, „qualiter unumquemque contigerit.“ Ut autem in tali re Gotho quoque officium illud imponeretur, hoc in causa videtur fuisse, quod ex eo inde tempore, quo Gothus et tertiam Romani possidebat, non solum haec tertia, sed tota ejus sors pro solvendo tributo obligata erat; dubium vero restat: a) cur etiam accola quandam tributi partem solvere teneatur, b) qua tributi portione unusquisque oneratus sit.

5. **Ad lites inter Gothum et Romanum de finibus regundis spectare videtur**

X. 1. c. 14. Si inter eum qui dat et accipit terram aut silvam contentio oriatur. „Si inter eum qui accipit terras vel silvas, et qui praestitit, de spatio unde praestiterit, fuerit orta contentio: tunc si superest ipse qui praestitit, aut si certe mortuus fuerit, ejus heredes praebeant sacramenta, quod non amplius auctor eorum dederit, quam ipsi designanter ostendunt: et sic posteaquam juraverint, praesentibus testibus quae observentur signa constituant: ut pro ea re nulla deinceps accedat caussatio. Si vero consortes ejus non dignentur jurare aut forte noluerint: vel aliquam dubietatem habuerint, quantum vel ipsi dederint, vel antecessores eorum: ipsi ut animas suas non condempnent, nec sacramentum praestent: sed ad tota aratra, quantum ipsi vel parentes eorum in sua sorte susceperant, per singula aratra quinquagenos aripennes dare debent. Ea tamen conditione, ut quantum occupatum habuerint vel cultum, juxta quinquaginta aripennes concludant: nec plus quam in eisdem mensuratum fuerit aut ostensum, nisi terrarum dominus forte praestiterit, audeant usurpare. Quod vero amplius usurpaverint, in duplum reddant invasa" [1]).

6. **Varia testimonia de consortio Romanorum et Gothorum.**

Plura de ea ratione, qua Gothi cum Romanis egerint, Paulini Pellaei (perperam Petrocorii dicti, cf. Joh. Chr. Fel. Bähr, Gesch. der Röm. Literatur.

1) Negare nolim, hanc legem ad alias quoque personas praeter Gothum et Romanum haspitalitatis jure inter se conjunctos pertinere posse, sed maxime tamen ad Gothum et Romanum spectare videtur; ad hanc autem sententiam haec potissimum ratio me deducit, quod de ea divisione, qua alter accipit tantum, alter praestat tantum terras vel silvas, hic agitur. Exinde enim sequi videtur, rem divisam inter eos, qui dividunt, antea non communem, veluti inter coheredes, sed ejus, qui praestat, propriam fuisse, quod de Romano agrorum partem Gotho tradente optime intelligi potest. Aratrum haud dubie est modus agri, et quidem id, quod alias jugum, jugerum appellatur, unius diei opus aratoris, vel quantum juncti boves uno die arare possunt. Cf. Du Cange Glossar. s. v. aratrum, jugum, jujerum. Arepennis, arapennis, aripennis, (unde arpent) est semijugerum (Colum. V. 1, 6. „semijugerum quoque [Galli] arepennem vocant); cf. Du Cange Glossar. s. v. arapennis. Freund Wörterbuch der Latein. Sprache s. v. arepennis. Vult igitur lex, ut in tali controversia is, qui terras praestitit, vel ejus heredes, nisi jurare velint, alteri, qui accepit terras, vel ejus heredibus, pro unoquoque aratro, quod in ipsa divisione retinuerunt, unum semijugerum, sed nunquam plus quam quinquaginta semijugera tradant. Fortasse autem hoc quoque praeceptum favore quodam in Romanos nititur.

Supplement-Band, Abth. I. §. 34) poëmate [1]), quo vitam suasque res enarrat, et cui est nomen Eucharistici, continentur. Paulinus tempore adventus Gothorum Burdigalae degebat ejusque domus, per aliquod tempus ab hospite Gothico immunis,

(v. 285. „Hospite tunc et jam Gothico quae sola careret,“ [2])

blandis deliciis cunctisque bonis referta erat.

v. 286. „Quod post eventu cessit non sero sinistro,
Nullo ut quippe domum speciali jure tuente,
Cederet in praedam populo permissa abeunti.
Nam quosdam scimus summa humanitate Gothorum
Hospitibus studuisse suis prodesse tuendis.
Sed mihi ad sortem praefatae conditionis
Addita majoris nova est quoque causa laboris etc.“

Postea autem Burdigala relicta se nunc a filiis quoque relictum esse dolebat, qui

v. 500. — — — — „libertatis amore,
Quam sibi majorem contingere posse putabant
Burdigalae, Gothico quamquam consorte colono,“

ibi restare maluerant.

Et huc etiam pertinet, quod apud Paulum Orosium Histor. lib. VII. c. 41. legitur: „Barbari exsecrati gladios suos, ad aratra conversi sunt, residuosque Romanos ut socios modo et amicos fovent, ut inveniantur jam inter eos quidam Romani, qui malint inter barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere“ [3]).

C. Franci.

De divisione quadam agrorum Romanorum, quam Franci in Gallia fecerint, neque in legibus Francorum, neque apud veteres rerum scriptores aliquid legitur. Attamen meo quidem judicio dubium non est, quin Franci quoque agros cum Ro-

1) Cf. Benedicti Paulini Petrocorii poëmata ed. Daum. Lips. 1686. p. 161. 168.

2) Hic locus indicare videtur, etiam Gothos aeque ac Burgundiones non illico post adventum suum in Galliam agros cum Romanis partitos, sed potius Romanos coactos esse, Gothos velut milites (Einquartierung) in domos suas recipere. Cf. Eucharist v. 311. sq.

3) Transiit hic locus in Historiam Miscellam in fin. libri XIII. Muratori rer. Ital. Script. T. I. p. 92.

manis certo quodam ordine partiti sint, et plures sunt rationes, quae ad eam sententiam me deducant. Primum enim tam leges quam rerum scriptores confirmant, Francos proprietatem multorum agrorum habuisse, quos Romanis ademtos esse per se patet. Deinde autem Lex Salica docet, Romanos non omnibus suis agris, sed parte tantum eorum a Francis exutos esse; distinguuntur enim tit. 43 Emend. (44 Herold.) et Epilog. tres ordines Romanorum, id est convivarum regis sive Romanorum in truste, possessorum et tributariorum [1]), neque fieri potuisse videtur, quin statum tam bene ordinatum et compositum legitima quaedam et accurata divisio agrorum antecesserit. Huc accedit usus vocis alodis [2]), quae mea sententia non ex al et od, sed ex a et lod composita est [3]), et sortem legitimam ipsa significat. Denique etiam, ne praetermittam, quod dignissimum est memoria, in lege Ripuariorum vocabula consortis et sortis reperiuntur, ita quidem, ut voce sortis fundus ab aliquo possessus significetur; et hoc quoque divisionem quandam agrorum, inter Francos et Romanos factam, indicare videtur.

Tit. LX. (62) c. 2. „Si quis consortem suum quantulumcumque superpriserit [4]), cum quindecim solidis restituat. c. 5. Quodsi extra marcham in sortem alterius fuerit ingressus, judicium comprehensum compellatur adimplere.“

---

1) De Savigny Röm. Steuerverfassung. p. 28.

2) Lex Sal. tit. LXII. Lex Ripuar. tit. LVI. (58).

3) J. Grimm Deutsche R. Alt. p. 493. 534. Phillips Grundsätze des Deutschen Privatrechts 2te Aufl. §. 56. Schmeller Bayerisches Wörterbuch sub v. Lasz et Lud-aigen Th. 2. p. 304. 441.

4) Superprendere = capere ultra quam fas est aut licet. Du Cange Glossar.

Jam vero opus esse videtur, ut ad nostrum munus pensumque nos revocemus, et ad id progrediamur, quo nobis copia haec in medium proferendi data est. Magistratu enim, quem per hunc annum gessimus, ad finem fere feliciter perducto, solemnis instat dies, quo successori nostro fasces academicos tradituri sumus. Quem diem rite indicentes gaudio complemur, quod talem nobis nancisci contigit successorem, de quo et Academiae et nobis quam maxime gratulari liceat. Electus enim collegarum suffragiis et a supremo senatu, quo Rex noster clementissimus ac potentissimus in rebus academicis utitur, confirmatus est vir clarissimus, de literis pariter ac de Academia nostra egregie promeritus nobisque amicissimus,

PETRUS JOSEPHUS ELVENICH,

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS, BIBLIOTHECAE REGIAE PRAEFECTUS.

Inaugurabitur hic novus Rector Magnificus secundum quod statutis nostris praescriptum est,

die XXV. Octobr. h. XI.

in Aula Leopoldina, ubi jurejurando legitimo praestito simul cum Decanis spectabilibus et Senatoribus gravissimis in eundem annum electis, publice a nobis renunciabitur, et sceptris academicis ceterisque summi magistratus insignibus ac praesidiis a nobis susceptis, ipse munus suum rite ingressurus, orationem pro civium academicorum concione habebit.

Hanc rem ut Deus omnipotens faustam fortunatamque esse jubeat, sinceras facimus preces, denique solemnitatem a nobis indictam, ut praeter Collegas doctissimos honoratissimos et Commilitones humanissimos dilectissimos, nobiscum celebrare atque praesentia sua ornare velint, Virum perillustrem, Extraordinarium Regis Commissarium eundemque Academiae Curatorem, Proceres utriusque civitatis excellentissimos spectatissimos, omnes denique literarum fautores et amicos ea qua par est observantia rogamus et invitamus.

Vratislaviae d. VIII. m. Octobris a. MDCCCXLI.